



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

Innocentius IV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

to, vel potius destititione contra libertatem ipsius, sicut dicitur, firmavistis, ut homines vestri viri Ecclesiasticis, vel Ecclesiarum hominibus in foro non teneantur Ecclesiastico respondere: quin immo si iudex Ecclesiasticus in eos ob contumaciam excommunicationis sententiam tulerit, huiusmodi sententiam rerum occupatione suarum, vel eorum ad quorum instantiam excommunicati fuerant, in contemptum clavium Ecclesie, adversus quas non possunt portae inferi prevalere, relaxare cogatur: & quod deterius est, Archiepiscopos, Episcopos & alias personas Ecclesiasticas, & eorum homines super quibuscumque causis civilibus, ordinem juris scripti & antiquae consuetudinis pervertentes, vestro parere iudicio coartatis, licet ab antiquis temporibus ea libertate usque ad haec tempora in Regno Francie observata, usa fuerit Ecclesia Gallicana, ut laici personis Ecclesiasticis & Ecclesiarum hominibus in iudicio Ecclesiastico responderent. Sed ecce convenit, immo ad tui honoris incrementum accedet, quod frequenter infra pectoris tui arcana revolvens, quod non solum praedecessores tui, quibus ex honore impenso Ecclesie multiplicis laudis titulus & honoris accrevit, totis eam studuerunt viribus honorare; sed & multis retroactis temporibus Valentianus Imperator suffraganeis » Mediolanensis dixit Ecclesie: Talem in Pontificali constituere sede, cui & nos qui gubernamus Imperium sincere nostra summitamus » capita, & ad eius monita, dum tamquam homines delinquimus, necessario veluti ad curandis medicamina recurramus, aures tuas illis si qui te ad afflictionem Ecclesiarum pravis seductionibus nitantur inducere, minime praebes, & ea tibi suggerentibus quibus animae detrimentum incurris auditum penitus interdicas. Hinc est quod excellentiam regiam rogandam duximus & monendam, quatenus cum signaculum crucis profecturus in subsidium Terrae sanctae susceperis, & personam tuam pro Dei & Ecclesie servitio multis laboribus & periculis deputaveris, ac ob id te oporteat summa providere cautela, ne quid a tua serenitate commegat fieri, propter quod vas tanti possit meriti vacuari, ob divinae reverentiam majestatis & Apostolicae sedis honorem, statarum praedictum & alia Ecclesiastica contraria libertati, quantum in te est revocans, & procurans ab eisdem Rege & baronibus revocari, ac Ecclesiam Gallicanam in pristino statu & honore conservans, eam non molestes, nec patiaris ab aliis molestari; quin immo viros Ecclesiasticos indulta tibi coelitus potestate protegens, & defendens, rebelles Ecclesie ad ipsius mandatum & unitatem redire compellas: ita quod ex hoc Deum aliquatenus non offendas. Ceterum cum olim felicitis recordationis Honorius Papa praedecessor noster in omnes aliqua statuta contra Ecclesie libertatem edentes, nisi infra duos menses statuta ipsa revocent, excommunicationis sententiam tulerit; & super hoc canonem latae sententiae promulgavit, nos ipsius tenorem tibi ne id tuam serenitatem lateat duximus transmittendum. Qui talis est. *Noveritis quod nos nuper in Basilica principis Apostolorum, praesente carissimo in Christo filio nostro F. illultri Romanorum Imperatore & semper Augusto, in celebratione Missarum, postquam capiti suo imposuimus imperii diadema, de consilio fratrum nostrorum, accensis candelis, excommunicavimus ex parte Dei omnipotentis, auctoritate Beatorum Apostolorum Petri & Pauli & nostra, omnes hereticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, & fautores, receptatores & defensores eorum, necnon & qui de cetero ser-*

*vavi fecerint statuta, edita, consuetudines vel potius abusiones introductas contra Ecclesie libertatem, nisi ea capitularibus suis infra duos menses post huiusmodi sententiae publicationem, fecerint amoveri. Item excommunicamus statuarios & scriptores statutorum, necnon potestates, consules, rectores, consiliarios locorum, ubi de cetero huiusmodi statuta vel consuetudines edita fuerint vel servata, necnon & illos qui secundum ea praesumerint iudicare, vel publicam formam scribere iudicata.*

Datum Viterbii XXI. Kalendas Martii, Pontificatus nostri: Anno IX.

INNOCENTIUS IV.  
PONTIFEX CLXXXII.

ANNO DCMINI MCCXLIII.

ANNO  
1243.

Innocentius IV. Genuensis Sinibaldus Filiscus, prius appellatus anno 1243. Pontifex est electus. Paris Juris elogium ob ejus singulariter peritiam obtinuit. Commentarios scripsit in libros Decretalium Gregorii IX. Celebravit Concilium Lugdunense primum adversus Imperatorem Fredericum. Puppureum Galerum Cardinalibus S. R. E. concessit. Obiit anno 1254. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 82.*)

Quod Auximani teneantur rescire damna illata, per exercitum Frederici Imperatoris populo Anconitano: Anno 1246.

I.  
Saracini notizie storiche d'Ancona. pag. ...

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, Episcopo Anconitano, indevoti Deo & Ecclesie.*

NONNULLI de Civitate Auximana, postquam Frederico quondam Imperatori damnaviliter adhaeserunt, tum in hoc potissimum moliri experiri saevitiam, quod Anconitanam Ecclesiam ex diis injuriis affecerint, & jacturis enormibus deformarent; cum autem propter hoc ipsa Ecclesia, quasi ad nichilum sicut accepimus sit redacta; nos eam debita consolationis volentes delinere remediis, & ejusdem persecutoribus condigne merita compensare mercedis praesentium auctoritate statuimus, ut dicti Auximani omniaque per se ipsos: vel eorum procuratores per exercitum praefati Frederici a tempore; quo ipse occupavit Marchiam, de jam dictis bonis Ecclesie sunt consumpta restaurare teneantur; nulli ergo constitutionis, &c. dat. ... Non: Idus Maii: Anno quarto.

Facultatem dat Episcopo Anconitano revocandi, quaecumque bona in feudum tenerent Allani, Auximani, &c.

II.  
Saracini notizie storiche d'Ancona. pag.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, Episcopo Anconitano.*

NE gloriantur reprobi suae perversitatis opera, sive condignis meritorum stipendiis praeteritis gementibus filiis Ecclesie, quod multis, per illos gravati fuerint detrimentis, de ceat

ANN O  
1243.

providentiâ sedis Apostolicæ super hoc ad consolationem mentium salubriter providere; sanè tua insinuatione percepimus, quod nonnulli Aesini, Senogallenses, & Auximane civitatum & diæcesum prædictarum Ecclesiarum Frederico quondam Imperatori damnabiliter adhærentes, Anconitanam Ecclesiam, cujus quidam ex ejus feudatariisque, alii verò censuales existunt, turbare diversis injuriis, & pravis præsumserunt afficere nocuentis, ut autem eis digni sint in dispendium, quod ab iniquitate ipsorum taliter esse præsumptum Fraternalitati tuæ per tenorem præsentium concedimus facultatem, ut terras, possessiones, & alia quæ in feodum, seu sub annuo censu ipsi ab Anconitana Ecclesia tenerent ad manus, liberè revocare valeas, & aliis personis conferre Apostolicæ sedis devotis auctoritate præsentium concedimus facultatem.

III.  
Ex Anecd.  
Marrene  
Tom. I. Col.  
1029.

Quod Fratres Prædicatores obsequiis Prælatorum, ac Principum immorantes suis superioribus devotè obediant.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Fratribus Ordinis fratrum Prædicatorum in Alemannia constitutis, qui Prælatorum aut Principum obsequiis immorantur, vel eidem sunt modo aliquo deputati, salutem & Apostolicam benedictionem.*

In conspectu Dei & hominum decens & expediens esse dignoscitur, ut præclara religio, quam fratres vestri Ordinis præcedunt habitu ostendatur effectu: in eo præcipuè qui se, suos, & sua reliquerunt, obtentu divini nominis, nihil sibi retineant propriæ voluntatis, sed obedientiæ jugum cum distractione petraherent, ut sic divina propitiante clementia perennis vitæ bravium comprehendant. Cum itaque Apostolici dignitas deposcit officii personas divinis adscriptas laudibus specialiter ad ea quæ salutis existunt opportunis temporibus exhortari; universitatem vestram rogamus & obsecramus in Domino Jesu Christo per Apostolica vobis scripta sumiter præcipiendo mandantes, quatenus præ oculis diligenter habito quid professi fueritis; quando Religionis habitum assumpsistis, omni occasione postposita dilectis filiis magistro & priori provinciali vestris, ac eorum vicariis ordinis memorati sic studeatis reverenter intendere, ac humiliter obedire, quod eis & ceteris fratribus ipsius ordinis vertatur in gaudium & vobis redundet ad cumulum meritum; alioquin ne vestræ inconsultæ voluntatis arbitrium sit vobis in perniciem, & pacem præfati ordinis scandalo damno perturbet, prædictis magistro & priori, ac vicariis eorum damus nostris litteris in mandatis, ut vos ad id per censuram Ecclesiasticam & sublationem habitus, ac per translationem ad alium ordinem congruentem, monitione præmissa, cessante appellatione, compellant; Non obstante aliquo privilegio vel indulgentia, vobis seu quibuscumque aliis ab Apostolica sede concessis, de quibus in litteris nostris plenam, aut expressam oporteat fieri mentionem. Datum Lugduni II. Kalendas Decembris Pontificatus nostri anno VII.

ANN O  
1243.

IV.  
Ex Iptil. Dacheri Tom.  
3. nov. edit.  
pag. 629.

Privilegium Civibus Insulæ Majoricarum, ne in posterum ad lites dirimendas loca remota petere cogantur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo, ac dilectis Filiis Clero, Consulibus, Juratis, & universitati Insulæ Majoricarum, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

Propter maris pericula Insulam vestram undique circumdantis, ac frequentes piratarum, ac paganorum incurfus ad Terram firmam distantem ab Insula ipsa fieri per ducenta milliaria, prout asseritis, pervenire sine gravi dispendio non potestis. Cum itaque nonnulli, sicut accepimus ad loca remota, sæpe vos citari procurent, & propter impedimenta præmissa litibus cedere, seu cum Adversariis damnosas inire cogamini pactiones. Nos obtentu Carissimi in Christo filii nostri Illustris Regis Aragonum, qui favente divinæ virtutis auxilio dictam insulam de manibus Paganorum eripuit, & pro vobis Apostolicam gratiam per speciales Litteras imploravit, dispendiis vestris in hac parte occurrere sollicitudine paterna, volentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut per litteras Apostolicæ Sedis aut Legatorum ejus, quæ de ipsa Insula, & Indulgentia hujusmodi plenam, & expressam non fecerint mentionem extra eandem Insulam, super bonis, quæ infra ipsam habebitis vos, vel aliquis vestrum non possitis de cætero ab aliquibus conveniri dummodò parati sitis ibidem coram competenti Judice de vobis conquerentibus Justitiæ plenitudinem exhibere. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Lugduni prid. Idus Maii Pontificatus nostri anno septimo.

Quæ Episcopo Genevensi permittit omnibus illis qui eum vel ejus Diæcesis Ecclesias merore afficiunt, sacris mysteriis interdicere.

V.  
Ex Archivis  
Reipub. Genevensis  
ex-prompta.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Gebennensi, salutem & Apostolicam benedictionem.*

Petitio tua nobis exhibita continebat quod nonnulli Nobiles & Barones tuæ diæcesis ad bona Ecclesiarum ipsius diæcesis manus avidas extendentes, bona ipsa frequenter diripiunt ac Ecclesias ipsas & personas ecclesiasticas ac te etiam gravibus afficiunt injuriis & jacturis.

Quare nobis humiliter supplicasti, ut super hoc adhibere salubre remedium curarem. Tuis igitur supplicationibus inclinati, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut tales quod ab hujusmodi desistant injuriis per excommunicationis in personas & in terras eorum interdicti sententias mediante justitia valeas coercere.

Non obstante si aliquibus à sede Apostolica sit indulgum quod interdicti vel excommuni

ANNO  
1243.

cari non possint, vel terra eorum supponi ecclesiastico interdicto, seu quod non possint conveniri coram ordinario vel alio quocunque iudice per litteras sedis ipsius quandiu parati fuerint coram deputatis eis ab eadem sede iudicibus respondere absque speciali dictae sedis mandato faciente plenam de indulto huius modi mentionem, sive aliqua alia indulgentia praedictae sedis generali vel speciali de qua vel cuius toto tenore oporteat in nostris litteris mentionem fieri & per quam effectus praesentium impediti valeat vel differri.

Datum Lugduni, III. Cal. Aprilis, Pontificatus nostri anno octavo.

*Johannes Pann.*

VI.  
Ex MSS.  
P. P. Praedicator.  
Rothomagensium.

Quod nulli ex Fratribus Praedicatoribus liceat in electionem vel postulationem de se factam ad Episcopatum, vel alias dignitates in vitiis superioribus, consentire. Quodque nullus Archiepiscopus nec Apostolicae sedis Legatus, aliquem de fratribus ad Episcopatum vel alias dignitates assumere praesumat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, dilecto filio Magistro ordinis Fratrum Praedicatorum salutem & Apostolicam benedictionem.*

Petio tua nobis exhibita continebat, quod cum aliqui fratres tui ordinis in aliquibus Ecclesiis in Episcopos eliguntur vel postulatur: iidem fratres, licet proprium velle non habebant aut nolle propter hoc quod renunciaverunt mundo & propriae voluntati, & per se nequeant consentire, tamen irrequisitis prioribus suis provincialibus, quorum licentia & Testimonium essent in talibus requirenda, dum electionibus, sive postulationibus de se factis temere consentiunt, & locorum Archiepiscopi fratres ipsos in Episcopos assumere ac ordinare praesumunt: propter quod plerumque in eodem ordine scandalum generatur, super quo provideri per sedem Apostolicam humiliter postulatis.

Cum autem praedictum ordinem, cum sit rectae vitae speculum, salutiferae conversationis exemplar, velimus semper de bono in melius, Deo propitio, prosperari: auctoritate praesentium de speciali gratia districtius inhibemus, ut nulli praefati ordinis fratres, si eos in Episcopos eligi, aut postulari forte contigerit electioni sive postulationi de se factae audeant consentire, nec aliquis Archiepiscopus, seu quicumque alius praelatus, vel etiam Legatus sedis ipsius dictos fratres, nisi de tua, vel ipsorum priorum provincialium, qui pro tempore fuerint, licentia & consensu, aut sedis eiusdem speciali mandato ad Episcopatum & alias dignitates extra dictum ordinem assumere vel ordinare praesumat.

Nos enim decernimus irritum & inane quicquid contra inhibitionem huiusmodi a quibuscumque contigerit attentari auctoritate Sedis Apostolicae semper salva. Nulli ergo &c. Datum Perusii III. Id. Julii, Pontificatus nostri anno IV.

Similes postmodum Litteras dedit Clemens Papa IV. Viterbii III. Calendas Junii Pontificatus sui anno IV.

ANNO  
1243.

VII.  
Extracta ex  
Manusc. parvo  
Ballario  
Conventus S.  
Crucis Parisiensis.

Ordo sanctae Crucis Huyensis Leodiensis Diocesis, approbatus & confirmatus per Innocentium IV. sub Regula S. Augustini & Constitutionibus Fratrum Praedicatorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei Dilecto filio Electo Leodiensi salutem & Apostolicam benedictionem.*

Cum dilecti filii prior & fratres Sanctae crucis Leodiensis Diocesis supra dictae secundum Regulam sancti Augustini & quasdam Institutiones fratrum praedicatorum, sicut asserunt, Domino famulari nobis humiliter supplicaverint, ut ipsis utendi Divinis officiis & institutionibus eorundem licentiam largiremur, ita tamen quod alium habitum deferre valeant, ac possessiones recipere, si eis pietatis intuitu a Christi fidelibus conferantur. Volentes igitur in hac parte tibi deferre, qui eorum Dioecesanus existis, discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus quatenus eisdem auctoritate nostra postulata concedas, si videris expedire. Datum Lugduni decimo Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno sexto.

*Sequitur Littera executoria Electi Leodiensis super commissione sibi facta.*

Henricus Dei gratia Leodiensis Ecclesiae Electus Dilectis filiis priori & fratribus Sanctae Crucis extra muros oppidi Huyensis nostrae Diocesis salutem in Domino. Noveritis, quod cum in anno a Nativitate Domini millesimo ducentesimo quadagesimo octavo ultima die mensis Novembris recepimus per manus vestras quasdam Litteras Apostolicas a Sanctissimo in Christo Innocentio quarto Divina providentia nobis specialiter directas quarum tenor de verbo ad verbum noscitur esse talis: Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei etc. ut proxime supra. Super quod mandatum Apostolicum nos qui de approbatione & confirmatione ordinis *Cruciferorum sub titulo Sanctae Crucis* per certa indulta Apostolica verissime sumus informati, vosque fons, & tanquam Caput totius ordinis memorati in Loco vestro prope Huyum nostrae Leodiensis Diocesis per Sedem Apostolicam instituti, & quia Ecclesiam Christi fidelibus temporibus nostris diligenter affectamus augmentare, ac etiam vos Crucis servitores ob reverentiam cruciferi, in cuius titulo & passione estis vos reverenter signati, in vestris bonis affectionibus & contemplationibus conservare Divinis per nostrum consilium cum matura & discreta deliberatione, visa & considerata supplicatione vestra in litteris Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Papae, nostrae consensu & specialiter ad experientiam nostram commissa, etiamque Beati Augustini Regula approbata, visisque Institutionibus fratrum Praedicatorum, inter quos praedictas institutiones plurima Capitula cum prologo praecedenti, videlicet, *Quoniam ex praeccepto Regula iubemur habere cor unum, & animam unam in Domino* etc. ad usum vestrum, (prout nobis promissis) in eodem libro compilantur, qui Liber Institutionum, seu statutorum nuncupatur, in quo primo determinat de officio Ecclesiae, & Inclinationibus, de suffragiis mortuorum, de jejuniis, de cibo & colatione, de Inclinationibus, de infirmis & minutione, de Lectis & vestitu, de rasura & silentio, de

reci-

ANNO  
1248.

recipiendis novitiis & eorum instructione, de professione quæ primò debet fieri ab omnibus profitentibus in quibuscumque Domibus existentibus Priori Huyensi, prout in dicta Constitutione plenius continetur de levi culpa, de gravi culpa, de graviore, & gravissima culpa, de apostatis, de Domibus concedendis & contruendis, de electione priorum, qui omnes per Priorem Huyensem tenentur confirmari & insitui, de electione Definitorum Capitali generalis, de Capitulo quotidiano, de Capitulo generali quod quolibet anno in Huyense celebratur, ad quod Capitulum omnes priores . . . . . vel procuratores Domus suæ, sive Conventus convenire sunt astricti. De visitatoribus qui per priorem Huyensem committuntur nisi de se voluerit visitare, & priores exules super filias domus, secundum quod in dicta Constitutione continetur. De Itinerantibus, de Conversis, sub quibus Institutionibus, seu Constitutionibus præmissis vobis & successoribus vestris, omnibusque aliis fratribus habitum deferentibus sanctæ Crucis, & à Domo vestra dependentibus, in quibuscumque locis existentibus tam presentibus quam futuris utendi de Divinis officiis & Institutionibus præmissis, ac etiam tenendi possessionem in communi si à Christi fidelibus vobis, & omnibus membris vestris intuitu pietatis conferantur, autoritate Domini nostri Papæ in hac parte nobis commissa concedimus facultatem, atque pro temporibus futuris vos, & successores vestros in perpetuum secundum Constitutiones, seu Institutiones præmissas & Regulam B. Augustini memoratam regulariter vivere autoritate præmissa per presentes concedimus, in cuius rei testimonium præsentem paginam sigillo nostro fecimus insigniri. Datum in Castro nostro Huyensi Anno gratiæ millesimo ducentesimo quadragésimo octavo, ultima die mensis Decembris.

ALEXANDER QUARTUS  
PONTIFEX CLXXXIII.

ANNO  
1254.

ANNO DOMINI MCCLIV.

**A**lexander Anagninus, antea Raynaldus, vel Rolandus nuncupatus Innocentium excepit, sub quo Guelphorum, & Gibelinorum turbis Italia æstuabat. Obiit anno 1261. Pontificatus Sexto. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 106.*)

I.  
Ex Anecd.  
Martene  
Tom. I. Col.  
1059.

Revocatio quarundam litterarum, & sententiæ ab Innocentio IV. latæ in Regulares: anno 1254.

ALEXANDER EPISCOPUS.

*Venerabilibus universis Archiepiscopis & Episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælati, & ceteris personis Ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus, cujuscumque ordinis & professionis existant, salutem & Apostolicam benedictionem.*

**N**on insolitum est neque novum, ut ea quæ per occupationem vel in festinantia fiunt,

ANNO  
1254.

pro eo quod congruè lineam deliberationis prætereunt, in propensioris considerationis reducantur examen, ut rectiora & eliminatoria per attentionem plenioris discussionis emanent. Sanè quædam ab Apostolica Sede tempore felicis recordationis Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri litteræ processerunt; in quibus ipse universis religiosis cujuscumque professionis vel ordinis existant, districtè in virtute sanctæ obedientiæ injungebat, ut Parochianos alienos diebus Dominicis & festivis non reciperent de cetero in suis Ecclesiis seu Oratoriis temerè ad divina, nec ipsos ullatenus ad penitentiam admitterent, sine suorum Licentia Sacerdotum: nec eis in suis prædicarent Ecclesiis ante Missarum Solemnia, pro quibus audiendis primæ diei parte iidem parochiani consueverunt, & debent in suis Ecclesiis convenire: nec sermones etiam solemnes facerent illa hora, sed nec ad prædicandum solemniter ad Parochias alienas accederent nisi essent ab earum sacerdotibus invitati; vel saltem nisi se ad id humiliter paterent & obtinerent admitti; nec ea die qua Diocesanus Episcopus vel alius loco ejus prædicaret solemniter maximè in Ecclesia cathedrali, aliquis ipsorum in eadem civitate vel loco præsumeret prædicare. Si verò in casu licito Parochianum alterius eos in suis Ecclesiis recipere ad sepulturam contingeret, omniumque obtentu consequerentur hujusmodi sepulturæ portionem canonicam, vel non requisiti infra octo dies à tempore receptionis eorum Episcopo vel Sacerdoti de cuius Parochia mortuus est assumptus exhibere curarent. Si autem aliquis religiosorum ipsorum hujusmodi transgressor contra prædicta vel aliqua prædictorum venire præsumeret, præter inobedientiæ vitium & excommunicationis sententiam, quam eum incurrere voluit ipso facto, gradus sui periculo subjaceret, & nihilominus à Diocesano ad præmissa & singula observanda per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, districtius cogeretur, nullis ei contra hujusmodi indulgentiis & privilegiis Apostolicis valituris. Verum quia super præmissis Litteris cogitare attentius & studiosius deliberare proponimus pacis commodum, & quietis solatium Ecclesiis & personis Ecclesiasticis potissimè cupientes præfatas litteras & si quæ aliæ super prædictis vel eorum aliquo contra præfatos religiosos & aliquos ex ipsis, generaliter & specialiter, præter formam communem & solitam processere, ac mandata seu præcepta facta in eis, vel earum auctoritate duximus penitus revocanda. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus per hujusmodi litteras vel occasione mandatorum seu præceptorum aut sententiæ quam continent, nihil proferas agatis cum nullam deinceps efficaciam habeant vel vigorem. Datum Neapoli XI. Calendas Januarii Pontificatus nostri anno primo.

Quod nullus fratrum Prædicatorum alii possit peccata confiteri, quam suis Prælati, nisi urgente necessitate: anno 1254.

II.  
Ex Anecd.  
Martene  
Tom. I.  
Col. 1060.

ALEXANDER EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis fratribus Ordinis Prædicatorum Salutem & Apostolicam benedictionem.*

**C**um magister & Priores Ordinis vestri more petiti medici vinum & oleum sciant infundere vulneribus sauciati, auctoritate vobis presentium inhibemus, ne aliquis vestrum alius quam Prælati suis peccata sua confiteri præsumat nisi necessitatis urgente periculo, vel nisi forsan dictus magister vel Prior proprius alicui fratri licentiam